

171. *Solvitur objectio.* — Nec dicas hoc esse contra receptam praxim plurimum provinciarum, ut Belgii, ubi teste Castro Palao, loc. cit. punct. 13, lanæ anticipata solutione plerumque minoris emuntur, ac est currens pretium: item aliarum provinciarum, ubi fructus agrorum, pratorum, vinearum, etc. ordinarie minoris emuntur, si solutio anticipatur. Respondetur enim hoc fieri non præcise ob anticipatam solutionem, sed quia ordinarie concurrens una ex circumstantiis pretium minuentibus sæpe jam adjectis.

## § VII.

DE VENDITIONE RERUM VITIO LABORANTIUM: UBI ETIAM DE DOLIS, ET FRAUDIBUS, QUÆ IN EMPTIONE VENDITIONE COMMITTUNTUR.

172. *Vitia seu defectus mercium quadruplicia, in substantia nempe, quantitate, qualitate, et mixtura.* — Queritur I. An, et quales teneatur venditor detegere defectus vel vitia mercis? Notandum prius quadruplicem dari posse in rebus ob defectum, vel vitium. Primo in substantia; ut si vendatur vitrum pro gemma, aurichalcum pro auro, etc. Secundo in quantitate, puta in mensura, numero, pondere, etc. Tertio in qualitate, ut quando datur ovis morbosa pro sana, pannum adustum, ligna vitiosa, etc. Huc pro quarto reducuntur mercies aliena materia adulteratas, vel deterioratas, ut vinum aqua mixtum, frumentum paleis, aliisque seminibus involutum, ceram pice permixtam, etc. Interque quæ vitia, alia manifeste patent, alia latent vel utrumque, vel saltem emptorem. His prænotatis,

173. *Quando emptor de certo vitio interrogat, tenetur illud manifestare venditor, nisi cognoscat, emptorem nihilominus eodem empturam pretio.* — Resp. I. Si emptor de quibusdam vitiis expresse interrogat, tenetur illa manifestare venditor. Molina, loc. cit. n. 26; Lugo, disp. 26, n. 133, conclusionem nostram ponens pro regula generali. Ratio est, tum quia si venditor expresse interrogatus, fraudulenter negat, vel dolosa æquivocatione celat vitium, censetur dolus dare causam contractui. Hujusmodi autem contractus illicitus ac invalidus, vel saltem ut iniquus invalidandus est, arg. c. xv et xvi. de Rescript. vi quorum fraus, et dolus nulli patrocinari debent. Advertunt nihilominus citati doctores quod, si venditor verisimiliter

judicat, emptorem etiam manifestato vitium vitiosam eodem pretio empturam, consequenter dolum non esse causam contractus, negando vitium, non nisi veniali mendacio peccet, contractu de reliquo, et valide et licito remanente.

174. *Vitium vel defectus manifeste patens, necessario non est indicandus.* — Resp. II. Si vitium aliquod, vel defectus quicumque tandem manifeste cuivis patet, regulariter loquendo non tenetur illum manifestare venditor, vel desuper monere emptorem. Divus Thomas, 2. 2, q. 77, a. 2, ad 3; Molina, disp. 353, n. 17; Navarrus, in *Manual.*, cap. xxvii, n. 29; Castro Palao, loc. cit. punct. 22, n. 6; Layman, loc. cit. § 2; n. 14, et communis aliorum: textu expresso. I. *Equæ. 43. ff. de Contrah. empt.* et l. 1. ff. de *Ædilit. edict.* Ratio est, quia ubi res ipsa loquitur, non est opus voce venditoris.

175. *Nisi forsitan venditor cognosceret vitium patens ab emptore ex ignorantia, vel negligentia non observari.* — Dicitur notanter, «regulariter loquendo;» quia limitatur conclusio in casu, quo circumstantiis venditor bene advertit emptorem tam rudem, ac imperitum esse, ut vitium per se patens non agnoscat; uti communissime advertunt doctores, signanter Molina, loc. cit.; Palao, loc. cit. n. 7; Layman, loc. cit.; Petrus Navarrus, de *Restitut.* cap. ii, dubit. 7, n. 54. Ratio est, quia respectu talis, vitium revera censetur occultum. Idem dicendum, si emptor ex negligentia, vel inadvertentia vitium non observare dignoscitur, uti contra Frideric, n. 525. Toletum, Vega, Salas et alios recte docet Abbas, in c. *Injustum. de Rerum permut.* n. 4; Sylvester, §. *Emptio.* n. 20; Medina, de *Restitut.* q. 34; Castro Palao, loc. cit. et alii. Rationem assignat Abbas; quia quamvis in hoc sit aliqua culpa penes emptorem, nihilominus venditor hoc advertens, committit dolum, si emptorem non monet. Dolus autem præponderat culpæ, *Glossa. l. Item si obstetriciæ. §. Tenebitur. ff. ad Leg. Aquil.* Accedit, quod etiam respectu talis saltem hic et nunc vere dicatur vitium occultum.

176. *Vitium seu defectus circa substantiam ordinarie manifestari debet.* — Resp. III. Si vitium seu defectus est occultus, et versatur circa substantiam; omnino manifestari debet, ita ut, si taceatur, contractum non tantum illicitum, sed et irritum, ac invalidum reddat. Omnes. Ratio est, quia ubi est error defectus in substantia, deest consensus, qu-

est de substantia emptionis venditionis, textu claro l. *In venditionibus. ff. de Contrah. empt.* juncta l. II. et XI. c. eod. prout amplius diximus supra n. 41.

177. *Ponitur limitatio.* — Limitant conclusionem aliqui, in casu, quo una res pro alia, substantialiter diversa tradita, æque, vel saltem æque bona, utilis et conducens est ad usum et finem eementis, ac illa quæ petitur et intenditur, Sanchez, lib. VII. de *Matrim.* disp. 18, n. 42; Lugo, disp. 26, n. 124; Salas, de *Empt.* dub. 33, n. 1, Graffii, Lopez, et alii. Rationem dant, quia quamvis etiam in tali casu physice loquendo, una res ab alia quoad substantiam sit diversa; tamen juxta moralem considerationem et æstimationem (per quam rerum pretia statuuntur) censetur esse idem, consequenter etiam adesse consensus, vel certe non nisi irrationabiliter abesse. Ex quo colligunt licite et valide dari posse unum medicamentum a petito substantialiter diversum, quando certo constat, hoc æque utile esse pro fine eementis ac illud. Idem dicendum in aliis mercibus, præsertim quando emptore rem non intelligente, venditor certo scit, quod res substantialiter alia eidem ad usum et finem intentum magis serviat quam petita.

178. *Vitia circa qualitatem, causantia emptori vel tertio damnum, vel reddentia merces inutiles ad finem eementis, manifestare tenetur venditor.* — Resp. IV. Si vitia occulta versantur circa qualitatem, et sunt talia, ut ad usum, vel finem ab emptore intentum, vel omnino, vel parum sint utilia, vel etiam si sint eidem, vel tertio nociva, gravissime obligatur venditor illa manifestare, etiamsi de iis non interrogetur. Ita teste Castro Palao, loc. cit. n. 8. omnes doctores arg. l. I. § *Proinde. ff. de Ædilit. edicto.* ibi: «Proinde, si quid tale fuerit vitii, sive morbi, quod usum ministeriumque impediatur, id dabit redditioni locum.» Concordant leges ibidem sequentes. Ratio est, quia in hujusmodi emptoribus dolus revera dat causam contractui, deest verus emptoris consensus, quo deficiente deficit contractus ipse, l. *In venditionibus. ff. de Contrah. empt.*

179. *Procedit conclusio etiam in casu, quo emptor, non ad specialem usum pro se, sed ut iterum vendat alteri, emit.* Castro Palao, loc. cit., n. 9; Navarrus, in *Manual.* c. xxiii, n. 89; Petrus Navarrus, de *Restitut.* cap. ii, dubit. 7, et communissima aliorum. arg. cit. l. I. § *Proinde. ff. de Ædilit. edicto.* Ratio

est, quia in hoc quoque deest consensus eementis, utpote qui non nisi merces, sibi, aut illis, quibus revenditurus est, utiles, ac proficuas emere intendit; consequenter si merces revendenda aliis emptoribus, ob vitium, quo laborant, inutiles sunt, vel parum utiles, consensus eas emendi adesse non censetur.

180. *Secus est, si merces vitii qualitatis affecta, sint æque, aut ferme æque utiles ad usum et intentum eementis.* — Resp. V. Si occulta circa qualitatem versantia rerum vitia sint modica, vel talia, quod iis non obstantibus res ad usum, et finem ab emptore intentum æque vel fere æque sint utiles, ac si vitia abessent, non tenetur illa manifestare venditor. Divus Thomas, *Quodlib.* 2. a. 40; Molina, loc. cit.; Layman, loc. cit., n. 49, cum communi aliorum, arg. cit. l. I. § *Proinde. ff. de Ædilit. edict.* ibi: «Non utique quodlibet quam levissimum efficere, ut morbosus, vitiosusve habetur. Proinde levis febricula, aut vetus quartana, quæ tamen jam sperni potest, vel vulausculum modicum, nullum habet in se delictum; contemni enim hæc potuerunt.» Concordant legistæ immediate sequentes. Ratio est, tum quia communi eementium et vendentium consensu, modica hujusmodi vitia licite abscondi possunt: tum quia alias mercatores magnum fortunæ discrimen subire deberent; «cum forte emptores,» uti ait divus Thomas, loc. cit. «propter vitium hujusmodi vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum,» vel, sæpe non emerent, mercibus apud mercatores sine lucro remanentibus, vel cum damno eorumdem pereantibus.

181. *Vitium in quantitate quoque manifestare debet venditor.* — Resp. VI. Si vitium occultum est in quantitate, puta in pondere, mensura, etc. ut si putat emptor, pannum v. g. novem ulnarum continere decem ulnas, tenetur venditor illud vel manifestare, vel juxta proportionem defectus, pretium minuere. Communis et certa; quia alias aperta committeretur fraus, et injustitia; nec servaretur æqualitas a justitia commutativa requisita, fieretque contra illud Pauli I. *ad Thess.* iv. 6. *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum; quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Concordant textus supra n. 131. citati.

182. *Nisi pretium legitimum, vel vulgare esset injustum.* — Limitant tamen conclusionem doctores communiter præsertim Moli-

na, disp. 353, in fine; Layman, tract. IV. c. xvii, n. 15; Lugo, disp. 26, n. 125; Palao, loc. cit. punct. 22, n. 5; *de Negot. hum.*, lib. IV. cap. iv, a. 7. Vega, Medina, Sylvester, et alii in casu, quo vel pretium a superioribus injuste est taxatum; vel emptores inique conveniunt, quod non nisi certo, minus justo pretio vulgari merces emere velint; tunc enim licite et valide poterunt venditores non tantum abscondere ac dissimulare occultum quantitatis vitium, sed etiam postquam res jam est empta, pia fraude in pondere vel mensura tantum detrahere, quantum ad complendum justum rei pretium exigitur: prout supra jam diximus n. 137. Ratio præter ibidem allegatam est; tum quia nulli fit injuria, cum uti supponitur, servetur æqualitas inter mercem et pretium; tum quia venditores non tenentur cum injusto suo damno vendere, vel deserere sua officia reipublicæ necessaria.

183. *Proponitur et solvitur objectio circa deceptionem in pondere et mensura.* — Nec obstat, quod objici posset, consensum ac intentionem emptoris esse decem v. g. et non tantum novem convento pretio emere. Nam hoc ipso, quod velit emptor decem emere, vult etiam emere novem utpote in illis inclusas, sicque quoad novem ulnas emptio pro proportionato pretio erit valida. Quod autem decimam ulnam venditor non addat, vel demat, juste conqueri, vel invitus esse non potest emptor; quia pro illa nullum dedit pretium, cum, uti rursus supponitur, pretium, quod pro decem obtulit, tantum sit justum et proportionatum pro novem, quo supposito per occultam compensationem, ut se indemnem servet, et contractum justum æqualemque efficiat, unam ulnam detrahere utique poterit; ita sapienter discurre Lugo, dis. 26, sect. 8, n. 25.

184. *Monitio Molinæ ad confessarios.* — Monet tamen recte Molina, disp. 353. cum aliis confessarios, ut conquerentibus pœnitentibus similes, in se quidem pias, fraudes indistincte et considerate non admittant, sed prius circumstantias bene examinent, iisque satis consideratis, adhuc conscientias pœnitentium onerent, ne plus in pondere et mensura detrahant, quam ad justum pretium complendum sit necessarium. In dubio autem justii pretii a similibus fraudibus eos omnino cohibeant, prout etiam jam notavimus n. 139.

185. *De mixtura mercium. Remissive.* —

De quarto vitii vel defectus genere proveniente ex mixtura mercium, dum bonæ minus bona, vel alia materia admiscetur, sufficienter jam diximus supra n. 138. ubi videndum.

186. *Si venditor dolose occultando vitium mercis, causat damnum emptori vel tertio, tenetur ad recompensationem.* — Quæritur II. An, et quantum restituere teneatur, qui merces vitio affectas vendit? Resp. I. Quandoque venditor occultum rei vitium scienter abscondit, vel non manifestat, quod manifestare juxta dicta tenetur, peccat contra justitiam, et obligatur ad restitutionem, compensandumque omne illud damnum, quod propterea emptori et aliis emergit. Divus Thomas, 2. 2. q. 77. a. 3; Molina, disp. 303, n. 2, cum communi, et certa aliorum. Textus expressus et in l. *Julianus* 13, in princip. ff. *de Actionibus empti.* ibi: « Qui pecus — vitiosum vendidit, si quidem ignorans fecit, id tantum ex empto actione præstaturum, quanto minori essem empturus, si ita esse scivissem: si vero sciens retinuit, et emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea actione emptor traxerit præstaturum ei: sive igitur ædes vitio tigni corruerunt ædium æstimationem, sive pecora contagione morborum perierunt, quod interfuit idonee venisse, erit præstandum. Idem quod furem vendidit, aut fugitivum, » etc. Concor dat, l. 1, c. *de Edilit. action.* Ratio est, quia quicumque rem alienam injuste detinet, vel alterum injuste damnificat, uti in casu conclusionis res se habet, ad restitutionem tenetur, per juris vulgaria; ergo. Dicitur autem notanter, « si scienter. » Nam.

187. *Qui bona fide rem vendit, ignorans illam laborare vitio, non tenetur damna inde secuta resarcire, bene tamen restituere id quanto minoris res empta fuisset.* — Resp. II. Si venditor vitium rei ignoravit, non tenetur ad compensanda ulla damna emptori, vel alia inde secuta, sed tantum restituendum id, quanto minoris rem emisset emptor, si vitium cognovisset. Nisi forsitan pretium re jam præscripsisset, vel bona fide consumpsisset, ditior inde non factus. Molina, loc. cit., n. 8; Frideric, h. t., n. 536; Sylvester Navarrus, Panormitanus, Covarruvias, Conradus, Lessius, Lugo, cum communi et certis aliorum, ob clarissimam juris dispositionem allegatam præcedenti n. ex l. *Julianus* 13 ff. *de Action. empti.* Ratio est, quia non fuit causa voluntaria illorum damnorum,

88. *Nisi tempore contractus bona fide celebrati, per expressum conditionem ab omni periculo et onere restituere se eximisset.* — Imo, si venditor revera ignorans occultum rei vitium, tempore contractus expresse pascatur, et dicat, se tanti vendere et non aliter, nec velle teneri ratione alicujus occulti vitii, si quod forsitan inesset, et postea patefieret? neque ad id, quanto minoris, vitio cognito res fuisset empta, restituendum tenebitur. Molina, loc. cit., n. 16; Frideric, loc. cit., et communis aliorum, arg. l. *Quæro* 39. ff. *de Action. empti.* Ratio est, quia hoc ipso, quod emptor, voluntarie, et scienter in se periculum suscipit, periculi eventum sustinere debet: præsertim « cum scienti et consentienti non fiat injuria, neque dolus, » reg. 27. jur. n. 6.

189. *Hæc tamen conditionis appositio non juvat dolose abscondentem rei vitium.* — Secus foret, si venditor sciret et taceret occultum rei vitium; tenetur enim in utroque foro ad omnia damna, non obstante, quod tempore contractus dixerit, se nolle teneri de occultis vitiiis, eo quod hæc cautela solummodo ignorantem, non item scientem occultum rei vitium patrocinetur, cit. l. *Quæro* 39. ff. *de Action. empti.* ibi: « Hæc exceptio non ad ea pertinere debet, quæ venditor novit, — sed ad ea, quæ ignoravit, et de quibus emptorem certiorare nequivit. » Nec juvat venditorem, etsi unum vitium tacendo, alia detegat, vel in genere dicat: *Vendo tibi hunc equum claudum, ferocem, et omnia alia vitia habentem; eo quod generica manifestatio vitiorum nequitiam sufficiat, si venditor sciat occultum notabile vitium in specie, prout bene observat Abbas, c. Injustum. de Rerum permut. Navarrus, cap. xxiii, n. 89; Molina, loc. cit., n. 16, cum communi aliorum.*

190. *Emptor quoque ad restitutionem tenetur, si ab ignorante venditore rem bonam pro mala, argentum pro stanno, etc., emit.* — Quæritur III. Quid juris, si venditor rei propriæ substantiam, vel qualitates ignorans, unam pro alia, bonam pro mala, gemmam pro vitro, etc. vendat? Resp. in hoc casu teneri emptorem saltem in foro conscientie augere pretium usque ad limites justii saltem infimi, non tantum, quando statim ab initio cognoscit errorem venditoris, sed etiam, quando et ipse in pari versatur errore? dummodo resciat, antequam eandem legitime præscribat, vel bona fide consumat, ditior inde non factus. Divus Thomas, loc. cit.,

n. 2; Conrad., *de Contract.* q. 54; Molina, disp. 353, n. 10; Sylvester, Navarrus, et doctores communiter, arg. l. *In venditionibus. de Contrah. empt.* Ratio est, quia emptor non minus tenetur servare æquitatem et justitiam commutativam in contractu, quam venditor; ergo sicut venditor non potest plus accipere, quam justum pretium efficit, ita emptor non potest minus dare, quam limites pretii justii exigunt.

191. *Etiam si prius moneat venditorem, ut rem bene consideret; vel condonationem defectus pretii, si quis esset, ab ignorante obtineat.* — Nec satisfacit conscientie emptor, si rem bene cognoscens ait, v. g.: Bone amice, volo emere, et esse sine scrupulo, maneretque tutus in conscientia; hinc dico tibi: Considera rem bene, et resolve te, an velis mihi eam pretio jam oblato vendere, simulque libere condonare, si forsitan res plus valeret; quia ut contra Cajetanum, *ÿ. Emptio*, n. 2, bene advertit Molina, loc. cit., n. 11; Lugo, disp. 26, n. 137; Palatris, Ledesma, Bannes, et alii, hæc condonatio, ob ignorantiam venditoris non habet tantum voluntarii, quantum ad validam condonationem requiritur; plane enim non condonaret, si, ut emptor, rei pretium bene intelligeret.

192. *Ponitur limitatio præcedentis doctrine.* — Aliud foret, si tam emens, quam venditor mercis qualitates, et verum pretium ignorantem communi periculo se exponerent paciscendo, sive plus, sive minus valeat, nullum amplius ad quidquam teneri: hoc enim in casu, ob periculum, cui uterque se exponit, tutus erit quisvis in conscientia; nisi forsitan unus, emptor v. g. sagax, venditor rudis esset, emptorque vile præbendo pretium prope nulli periculo se exponeret, cum verisimilitudine ingentis lucri; e contra venditor ob ruditatem suam subiret periculum summi lucri; vel e contra: tunc siquidem notabiliter minus periculum patiens, saltem in foro interno tantum restituere tenetur, quantum spes majoris lucri, judicio prudentis viri valet; prout citati doctores bene advertunt. Ratio est, quia, ut consideranti patet, revera in simili contractu fraus aliqua cum gravi alterius præjudicio intercedit: « Fraus autem et dolus alicui patrocinari non debet, » c. *Ex tenore* 16. *de Rescript.* ergo.

193. *Merces in una regione vilissima, in alia summo pretio licite vendi possunt, si ibi communiter magni aestimantur.* — Illud merito ut certum supponunt Lessius, cap. xxi, n. 85.